Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

Regula ad inveniendum Pascha cujuslibet anni.

Et Pascha dati cujuslibet anni invenias; prævie scire debes, quis illo anno sit Aureus numerus, quæ Litera dominicalis, quæ Epacta.

Aureus numerus est numerus annorum, quibus constat Cyclus lunaris, hoc est, novendecim. Numeratur & invenitur hoc modo. Annus Correctionis 1582 fuit sextus illius Cycli lunaris, proin Aureus numerus 6. Inde numera usque ad 19: tum incipe ab 1 iterum usque ad 19, & sic semper repetendo; donec pervenias ad annum datum.

Litera dominicalis est, quæ Dominicas dies per datum quemlibet annum in calendario significat. Tales sunt septem A B C D E F G. In año intercalari dantur duæ Literæ dominicales; una usque ad 24^{am} Februarii, altera ab hinc usque ad finem, quæ sola pro inveniendo Paschate attendi debet. Annus Intercalaris est quartus quisque, excepto anno Seculari (ultimo cujusvis seculi) quo Intercalatio non ponitur, nisi quarto quoque seculo. Itaque Literas dominicales sic numerabis. Anno Correctionis fuit C, anno 1583 B, anno 1584 AG, anno 1585 F &c. sic porro numera literas retrorsum & quarto cuique anno binas assignando, usque ad annum 1700: nam annus 1600 est intercalaris, sicut quarto semper seculo esse debet. Anno 1700 omittitur Intercalatio, hinc habet unicam Literam; sic & 1800 & 1900: at 2000 iterum erit intercalaris &c.

Epacta est numerus dierum, quibus annus solaris lunarem excedit. In annis secularibus excessus iste seu Epacta crescit 10 diebus, aliis vero annis 11 diebus. Excipe tres casus. 1us. Anno primo cujusvis Cycli lunaris, seu quod idem est, quando Aureus numerus est 1, crescit Epacta uno die magis quam alias crescerent. 2us. Anno seculari Intercalari crescit uno die magis, quam si non esset intercalaris. 3us. Anno seculari Proemptico (quando Luna uno integro die serius venit, quod singulis trecentis annis ferme contingit) crescit Epacta uno die magis quam alias. Quando autem duo ex istis casibus concurrunt, crescit Epacta duobus diebus magis; imo tribus diebus, siquando omnes tres casus concurrunt.